

con el nudo perpetuo de la concordia, que es el mayor y mejor vínculo de salvación.

Fáltanos conseguir que Dios, *rico en misericordia*, favorezca nuestros proyectos y secunde nuestra empresa. Entre tanto invoquemos como intercesores cerca de él á Cirilo y Metodio, doctores del país de los eslavos, pues como deseamos extender su culto, confiamos en que no nos ha de faltar su protección.

Por eso ordenamos, que en el quinto día del mes de Julio, fijado por Pío IX, de feliz memoria, se inserte en el Calendario de la Iglesia Romana y universal, y anualmente se celebre la fiesta de los santos Cirilo y Metodio, con oficio del rito doble menor y Misa propia que la Sagrada Congregación ha aprobado.

Y á vosotros, venerables Hermanos, os ordenamos que veáis por la publicación de esta Encíclica, y prescribais la observancia de lo en ella dispuesto á todos los Presbíteros que celebran los oficios de la Iglesia Romana en sus Iglesias, provincias, ciudades, diócesis y conventos de seculares. Queremos, en fin, que, con ayuda de vuestros consejos y exhortaciones, Cirilo y Metodio sean invocados en el mundo entero, á fin de que con todo el favor de que gozan cerca de Dios, protejan la Religión cristiana en todo el Oriente, y obtengan la constancia de los católicos é inspiren á los disidentes el deseo de reconciliarse con la Iglesia verdadera.

Mandamos que lo arriba escrito sea rato y firme sin que obsten las constituciones publicadas por Pío V, Nuestro predecesor, y las demás constituciones apostólicas acerca de la reforma del Breviario y del Misal Romano; ni los usos y costumbres, aun los más antiguos, ni cosa alguna otra en contrario.

Como prenda de los favores celestiales y de nuestra particular benevolencia os concedemos con todo amor á vosotros todos, Venerables Hermanos, á todo el Clero y pueblo confiados á vuestro cuidado la bendición Apostólica.

Dado en Roma, cerca de San Pedro día 30 de Septiembre del año 1880, tercero de Nuestro Pontificado.

LEON XIII, PAPA.



EPISTOLA ENCYCLICA

Qua cultus SS. Cyrilli et Methodii ad universam
Ecclesiam extenditur.

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

GRANDE munus christiani nominis propagandi, beato Petro principi Apostolorum eiusque Successoribus singulari modo demandatum, Romanos Pontifices impulit, ut sacri Evangelii nuntios ad varias orbis terrarum gentes diversis temporibus mittendos curarent, prout res et consilia *miserentis Dei* postulare viderentur.— Quamobrem sicut Augustinum ad Britannos in culturam animorum legaverunt, Patritium ad Hibernos, Bonifacium ad Germanos, Villebrordum ad Phrisios, Batavos, Belgas, aliosque persaepe ad alios; sic etiam apostolici muneris apud Slavoniae populos obeundi facultatem *Cyrillo et Methodio*, viris sanctissimis, concesserunt: quorum instantia maximisque laboribus perfectum est, ut illi Evangelii lumen aspiicerent, et ab agresti vita ad humanum civilemque cultum deducerentur.

Cyrillum et Methodium, per Apostolorum nobilissimum, si hominum fama, beneficiorum memor, celebrare Slavonia tota numquam desijt; non minore certe studio colere Ecclesia Romana consuevit, quae et utrumque eorum, quamdiu vixerunt, multis rebus honoravit, et alterius demortui cineribus carere noluit.— Idem iam ab anno MDCCCLXIII Slavonici generis Bohemis, Moravis et Croatia, qui solemniam in honorem Cyrilli et Methodii celebrare quotannis die nono mensis martii consueverant. Indulgentia Pii IX immortalis memoriae decessoris Nostri permissum est, ut deinceps diem quintum mensis Iulii festum agerent, horariasque preces ob Cyrilli et Methodii memoriam persolverent. Neque multo post, quo tempore Concilium

magnum ad Vaticanum haberetur, per plures Episcopi sub hac Apostolica Sede suppliciter petiverunt, ut eorundem cultus et stata solemnitas ad universam Ecclesiam propagaretur. Verum infecta ad hanc diem re, et ob temporum vires mutato per eas regiones reipublicae statu, opportunus Nobis oblati videtur locus iuvandi Slavoniae populos, de quorum incoluntate et salute solliciti magnopere sumus. Igitur cum paternam caritatem Nostram nulla in re ab iis desiderari patimur, tum latius proferri augerique religionem volumus hominum sanctissimorum, qui Slavonicas gentes sicut olim, diseminata fide catholica, ab interitu ad salutem revocarunt, ita nunc sunt caelesti patrocinio potenter defensori. Quo autem magis emergat, quales sint quos orbi catholico venerandos et colendos proponimus, placet rerum gestarum historiam breviter attingere.

Cyrillus et Methodius fratres germani, Thessalonicae amplissimo loco nati, Constantinopolim mature concesserunt, ut in ipsa urbe Orientis principe humanitatis artes addicerent. Nec latuit scintilla ingenii, quae iam tum elucebat in adolescentibus; nam uterque plurimum brevi profecerat; at Cyrillus maxime, qui eam scientiarum laudem adeptus est ut singularis honoris caussa *Philosophus* appellaretur. Non longo intervallo monachum agere Methodius coepit; Cyrillus autem dignus est habitus, cui Theodora imperatrix, auctore Ignatio Patriarcha, negotium daret erudiendi ad fidem christianam Chazaros trans Chersonesum incolentes, qui idoneos sacrorum administratos Constantinopoli imploraverant. Quod ille munus non gravate accepit. Itaque Chersonam in Tauris adlatus, sermoni vernaculo illius gentis, ut quidam ferunt, aliquandiu operam dedit; eoque tempore sibi contigit optimis auspiciis, ut S. Clementis I. P. M. sacros cineres inveniret, quos quidem haud difficile cognovit cum ex pervagata maiorum memoria, tum ex anchora, quae cum ipsa martyrem fortissimum Treiani imperatoris iussu in mare praecipitem actum, et deinde conditum fuisse constabat. — Tam pretioso thesauro potius, in Chazarorum urbes sedesque penetravit; quos praecipis suis edoctos et Dei numine instinctos, multiplices superstitione delecta, ad Iesum Christum adiunxit. Recenti christianorum communitate optime constituta, continentiae simul et caritatis memorabile documentum edidit, cum oblata ab indigenis dona omnia recusavit, excepta servorum, qui christi nomen profiterentur, manumissione. Mox Constantinopolim rediit alacer, atque in monasterium Polychronis, quo se iam Methodius receperat, Cyrillus ipse recessit.

Iterum res apud Chazaros prospere gestas ad Restilium Moraviae principem fama detulerat. Is, Chazarorum exemplo incitatus, de aliquot operariis evangelicis Constantinopoli accessendis cum imperatore Michaele III egit, nec difficile, quod volebat, implevit. Igitur tot iam factis nobilitata virtus, proximorumque iuvandorum in Cyrillo et Methodio perspecta voluntas effecit, ut ii Moraviensi expeditioni destinarentur. Cumque iter per Bulgariam instituissent christianorum initiatam sacris, nullo loco praetermittunt amplificandae reli-

gionis opportunitatem. In Moraviam vero, effusa obviam multitudine ad imperii fines summa voluntate et celebri laetitia excipiuntur. Nec mora fuit, quin inbuere christianis institutionibus animos aggredirentur et in spem caelestium honorum erigere; idque tanta vi, tam operosa industria, ut non longo intervallo Moravorum gens nomen Iesu Christo libentissime dederit. Ad eam rem non parum scientia valuit dictionis slavonicae, quam Cyrillus ante perceperat, multumque potuerunt sacrae utriusque Testamenti litterae, quas proprio populi sermone reddiderat. Quare omnis Slavorum natio plurimum homini debet, quod non fidei christianae solum, sed etiam civilis humanitatis ex illo beneficium accepit: nam Cyrillus et Methodius principes inveniendi fuerunt ipsas litteras, quibus est sermo ipsorum Slavorum signatus et expressus, eaque de causa eiusdem sermonis auctores non immerito habentur.

Ex tam remotis disjunctisque provinciis rerum gestarum gloriam secundum rumor Romam nuntiaverat. — Atque ita cum Nicolaus I. P. M. fratres optimos Romam contendere iussisset, ii sine cunctatione imperata facere instituerunt; romanumque iter elaciter ingressi, reliquias S. Clementis secum advehunt. Quo nuntio, Hadrianus II, qui in locum Nicolai demortui fuerat successus, Clero populoque comitante obviam magna cum honoris significatione progreditur hospitibus illustribus. Corpus S. Clementis magnis extemplo prodigiis nobilitatum, solemniter ducta pompa, inlatum est in Basilicam iisdem vestigiis patrae domus martyris invictissimi Constantiniano tempore excitatum. Deinde Cyrillus et Methodius da munere apostolico in quo essent sancto laborioseque versati, ad Pontificem Maximum, assidente Clero, referunt. Et quoniam factae contra instituta maiorum religionisque sanctissimas arguebantur, quod sermonem Slavonicum in perfuntione munerum sacrorum usurpavissent, causam dixere rationibus tam certis tamque illustribus, ut Pontifex totusque Clerus et laudavit homines et probavit. Tum ambo, dicto ex formula catholicae professionis sacramento, iuravit se in fide hosti Petri et Pontificum Romanorum permansuros, Episcopi ab ipso Hadriano creati consecrati sunt, pluresque ex discipulis eorum variis sacrorum ordinum gradibus initiati.

Erat tamen provisum divinitus, ut Cyrillus Romae conderet vitae cursum anno DCCCLXIX die XIV Februarii, virtute magis quam aetate maturus. Elatus est funere publico magnifico apparatu, eo ipso, quo Pontifices Romani solent, et in senulcro, quod sibi Hadrianus extruxerat, perhonorifice composuit. Sacrum defuncti corpus, quia Constantinopolim asportari populus romanus non pertulit, quamvis parentis moestissimae desiderio expellitur, deductum est ad sancti Clementis, atque huius prope cineres conditum, quos Cyrillus ipse tot annis venerandus asservaverat. Cumque veheretur per Urbem inter festos psalmorum cantus, non tam funeris quam triumphi pompa visus est populus romanus libamenta honorum caelestium viro sanctissimo detulisse.

Haec ubi acta, Methodius iussu auspiciisque Pontificis Maximi ad consuetam apostolici muneris officia in Moraviam episcopus remigravit. In ea provincia factus forma gregis ex animo rei catholicae inservire maiore in dies studio institit; factiosus rerum novarum auctoribus, ne catholicum nomen opinionum insaniam labefacerent, fortiter resistere; Suentopolcum principem, qui Rastilaum exceperat, ad religionem erudire; eundemque officium deserentem admonere, increpare, demum sacerum interdictione punire. His de causis invidiam excepit terribili atque impurissimi tyranni, a quo actus est in exilium. Sed aliquanto post restitutus tempestivis adhortationibus impetravit, ut mutati animi indicia princeps ederet, pristinumque consuetudinem novo vitae modo redimi intelligeret oportere. Illud vero est mirabile, quod vigilans Methodii caritas, praetervecta Moraviae fines, sicut superstite Cyrillo Liburnicos et Servios attigerat, ita nunc Paannonias complectebatur, quorum principem, Cocelum nomine, ad religionem catholicam informavit, et in officio retinuit; et Bulgaros, quos ipsos cum rege eorum Bogori in fide christiani nominis confirmavit; et Dalmatas, quibuscum caelestia partiebat communicabatque charismata; et Carinthios, in quibus ad unius veri Dei notitiam cultumque traducendis plurimum elaboravit.

Sed ea res molestiam homini peperit, Etenim quidam ex novella christianorum societate, quia strenue actis rebus virtutisque Methodii inviderent, apud Joannem VIII Hadriani successorem, insontem postularunt de suspecta fide violatque more maiorum, qui in sacris obaudi sermonem graecum aut latinum unum adhibere consueverunt, praeterea nullum. Tunc Pontifex ineluctabilis fidei disciplinae veteris studiosissimus, Methodio Romam evocato diluere crimina, seseque purgare imperat. Is, ut semper erat ad parendum alacer conscientiaeque testimonio fretus, anno DCCCLXXX cum coram Joanne et Episcopo aliquot Cleroque urbano adfuisset, facile vicit, cum prorsus fidem et se retinuisse constanter et ceteros diligenter edocuisse, quam praesente et approbante Hadriano declaratum, ad sepulcrum principis Apostolorum iureiurando confirmarat; quod vero ad linguam Slavonicam in sacris peragendis usurpatam, se iustis de causis, ex venia ipsius Hadriani Pontificis, nec sacris litteris repugnantibus, iure fecisse. Qua peroratione ita se qualibet culpae suspicione liberavit, ut in re praesenti complexus Methodium Pontifex, potestatem eius archiepiscopalem, expeditionemque Slavonicam libenti animo ratam esse iusserit. Insuper, aliquot delectis Episcopis, quibus Methodius ipse praecessit, et quorum opera in administranda re christiana iuvaretur, perhonorificis commedatum litteris in Moraviam cum liberis mandatis remisit. Quas res omnes postea Summus Pontifex confirmatas voluit per litteras ad Methodium datas, cum scilicet huic rursus subeunda malevolorum invidia fuit. Quare securus animi, cum Pontifice Maximo cunctaque Ecclesia romana arctissimo caritatis fideique vinculo coniunctus adsignatum sibi munus explere multo vigilantius perseveravit; nec diu desideratus est egre-

gius operae fructus. Nam cum primum ipse per se ad catholicam fidem Borzivoium principem Bohemorum, deinde Ludmilla uxorem eius, adhibito quodam sacerdote, perduxisset, brevi perfecti, ut in ea gente christianum nomen longe lateque vulgaretur. Per eadem tempora Evangelii lumen in Poloniam invehendum curavit; quo cum ille per mediam Gallaciam penetravisset, sedem episcopalem Leopoli statuit. Inde, ut nonnulli tradiderunt, in Moscoviam proprii nominis digressus, thronum pontificale *Kiowense* constituit. Cum his haud sane arescentibus laureis in Moraviam reversus est ad suos; iamque sese abripi ad humanum exitum sentiens, ipsemet sibi successorem designavit; Clerumque et populum supremis praecipis ad virtutem cohortatus, ea vita, quae sibi via in caelum fuit, placidissime defunctus est.—Uti Cyrillum Romae sic Methodium Moraviae decedentem luit, ammissum quiescivit, funere eius modis omnibus honestato.

Horum factorum, Venerabiles Fratres, perincunda Nobis accidit recordatio; ne mediocriter commovemur, cum retro longe respiciamus optimis initiis splendidam Slavonicarum gentium cum Romana Ecclesia coniunctionem. Etenim duo isti christiani nominis propagatores, de quibus loquuti sumus, Constantinopoli quidem ad ethnicos populos discesserunt; sed tamen eorum missionem ab hac Apostolica Sede, catholicae unitatis centro, aut omnino imperari, aut, quod plus vice simplici actum est, rite sancteque approberi oportuit. Revera hic in Urbe Roma ab iis est et suscepti muneris ratio reddita, et ad accusationes responsum; hic ad sepulchra Petri et Pauli in fidem catholicam iuratum, consecratioque episcopalis accepta una cum potestate sacri imperii, retento ordinum discrimine, constituitur. Demum hinc est usus slavonici sermonis in ritibus sanctissimis impetratus; atque hoc anno decimum expletur saeculum, ex quo Joannes VIII P. M. ad Suentopolcum Moraviae principem ita scripsit: *Litteras slavonicas... quibus Deo laudes debita resonant, iure laudamus, et in eadem lingua Christi Domini Nostri praeconia et opera ut enarrentur iubemus. Nec sanae fidei vel doctrinae aliquid obstat, sine missis in eadem slavonica lingua canere, sine sacram Evangelium vel lectiones dicere s Noi et Veteris Testamenti bene translata et interpretatas legere, et alia horarum officia omnia psallere.* Quam consuetudinem multas post vices sanxit Benedictus XIV per apostolicas Litteras anno MDCCCLIV die XXV Augusti datas.—Pontifices autem Romani, quotiescumque opem rogati sunt a principibus viris, qui populus praecessit Cyrilli Methodique opera ad christianos ritus traductis, numquam commiserunt, ut sus desideraretur in adiuvando benignitas, in docendo humanitas, in consiliis dandis benevolentia, in rebus omnibus, quibuscumque possent, eximia voluntas. Prae ceteris vero Rastilaus, Suentopolcus, Cocelus, sancta Ludmilla, Bogoris insignem Decessorum Nostrorum caritatem pro re et tempore experti sunt.

Neque Cyrilli ac Methodii interitu constitit aut remisit paternam Romae Pontificum pro Slavoniae populis sollicitudo; sed in

tuentia apud eos sanctitatis religionis conservandaque prosperitate publica semper enituit, Revera ad Bulgaros Nicolaus I sacerdotum qui populum instituerent, et Episcopos Populionensium et Portuensis sub Urbe Roma misit, qui recentem christianorum societatem ordinarent: item Bulgarorum crebris de sacro iure controversiis is ipse responsa peramanter reddidit, in quibus vel ii, qui minus Ecclesiae Romanae favent, summam prudentiam collaudant atque suspiciunt. Ac post actuosam dissidii calamitatem, laus est Innocentii III reconciliasse cum Ecclesia catholica Bulgaros, Gregorii autem IX, Innocentii IV, Nicolai IV, Eugenii IV in reconciliata gratia retinuisse.—Similiter erga Bosnienses et Erzegovinenses, pravaram opinionum deceptos contagiis, insigniter eluxit Decessorum Nostrorum caritas, scilicet Innocentii IV, qui evellere ex animis errorem; Gregorii IX, Clementis VI, Pii II, qui sacrae potestati gradus per eas regiones stabiliter firmare studuerunt.—Nec exiguum, nec postremam curam suorum partem Innocentius III, Nicolaus IV, Benedictus XI, Clemens V in Servis contulisse putendi sunt, a quibus fraudes, ad labefactandam religionem astute comparatas, providentissime continuerunt.—Dalmatae quoque et Liburnici ob fidei constantiam, vicissitudinemque officiorum a Ioanne X, a Gregorio VII a Gregorio IX, ab Urbano IV favorem singularem et gravia laudum praekoniam adepti sunt.—Denique ipsa in Ecclesia Sermiensi, saeculo sexto barbarorum incursionibus deleta, posteaque sancti Stephani I Hungariae regis pio studio restituta, multa sunt Gregorii IX et Clementis XIV benevolentiae monumenta.

Quapropter agendas Deo grates esse intelligimus, quod idonea Nobis occasio praebeat gratificandi genti Slavorum, communisque ipsorum utilitatis efficiendae, non minore certé studio, quam quod est in Decessoribus Nostris omni tempore perspectum. Hoc scilicet spectamus, hoc unice cupimus, omni ope contendere ut gentes Slavonicae nominis maiore Episcoporum et sacerdotum copia instruantur ut in professione verae fidei, in obedientia verae Iesu Christi Ecclesiae obfirmantur, experiendoque quotidie magis sentiant, quanta vis honorum ab Ecclesiae catholicae institutis in convictum domesticum omnesque reipublicae ordines redundet. Illae quidem Ecclesiae plurimas et maximas curarum Nostrarum sibi partes vindicant; nec quicquam est, quod optamus vehementius, quam ut earum possimus commoditati prosperitati que consulere, cunctasque perpetuo concordiae nexu Nobiscum habere coniunctas, quod est maximum atque optimum vinculum incolumitatis. Reliquum est, ut adspiret propositis Nostris et incoepata secundet *dices in misericordia Deus*. Nos interim apud ipsum deprecatores adhibemus Cyrillum et Methodium, Slavonicae magistrorum, quorum sicut volumus amplificari cultum, ita caeleste patrocinium Nobis adfuturum confidimus.

Itaque precipimus ut, rato die quinto mensis Iulii quem f. r. Pius IX constituit, in Kalendarium Romanae atque universalis Ecclesiae inseratur, agaturque quotannis festum sanctorum Cyrilli et Methodii

cum ritus duplicis minoris Officio et Missa propria, quae sacrum Consilium legitimis ritibus cognoscendis approbavit.

Vobis autem omnibus, Venerabiles Fratres, mandamus, ut has Litteras Nostras publicandas curetis, et quae in iis praescripta sunt cunctos ex ordine sacrilegum, qui divinum Officium ritu Ecclesiae Romanae celebrant, servare iubeatis, in suis quaque Ecclesiis, Provinciis, civitatibus, Dioecesibus, et locis Regularium. Denique volumus, Vobis susdentibus et cohortantibus, in universum rogari atque orari Cyrillum et Methodium, ut, qua valent apud Deum gratia, Oriente toto rem christianam tueantur, imploranda catholicis hominibus constantia, dissidentibus reconciliandae cum vera Ecclesia concordiae voluntate.

Haec, ut supra scripta sunt, ita rata et firma esse iubemus, non obstantibus sancti Pii V Pontificis Decessoris Nostris alii que Apostolicis super Breviarii et Missalis Romani reformatione editis Constitutionibus, statutis quoque se consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Caelestium vero munerum auspicio et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, cunctoque Clero et populo singulis Vestrum commisso peramanter in Domino impartimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XXX Septembris anno MDCCCLXXX, Pontificatus Nostris anno tertio.

LEO PP. XIII.

